

*Belikov G.*

# De Valahfridi Stroh professoris Monacensis adventu

[ Stable URL: <http://elar.uniyar.ac.ru/jspui/handle/123456789/3523> ]

## [Публикация работы:]

*Belikov G. 2014: De Valahfridi Stroh professoris Monacensis adventu //  
Аристей: Вестник классической филологии и античной истории. 9, 13-15.*



НАУЧНО-ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ  
ЦЕНТР АНТИКОВЕДЕНИЯ  
ЯРОСЛАВСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА  
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА  
ЯРОСЛАВЛЬ, РОССИЯ

THE SCIENTIFIC & EDUCATIONAL  
CENTRE FOR CLASSICAL STUDIES  
AT YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY  
YAROSLAVL, RUSSIA

DAS WISSENSCHAFTLICHEN FORSCHUNGS- UND  
STUDIENZENTRUM FÜR DIE GESCHICHTE,  
KULTUR UND RECHT DER ANTIKE  
DER STAATLICHEN DEMIDOW-UNIVERSITÄT JAROSLAWL  
YAROSLAVL, RUSSLAND



РОССИЙСКАЯ АССОЦИАЦИЯ АНТИКОВЕДОВ  
RUSSIAN SOCIETY OF CLASSICAL STUDIES




НАУЧНО-ИССЛЕДОВАТЕЛЬСКИЙ И ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ ФОНД  
«ЦЕНТР ИЗУЧЕНИЯ РИМСКОГО ПРАВА»  
ЯРОСЛАВСКИЙ ФИЛИАЛ  
THE RESEARCH AND EDUCATIONAL FOUNDATION  
“THE CENTRE FOR ROMAN LAW STUDIES”  
YAROSLAVL BRANCH



ЯРОСЛАВСКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ УНИВЕРСИТЕТ  
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА  
YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY

*Gregorius Belikov*

DE VALAHFRIDI STROH PROFESSORIS MONACENSIS ADVENTU




*Valahfridius in auditorio*

Mense Novembri ineunte anno MMXIII Valahfridus Stroh philologus maximi nominis, linguae Latinae litterarumque antiquarum peritissimus, professor emeritus in Universitate studiorum Monacensi in Bavaria, vocatus a duce cathedrae linguarum antiquarum Alessandro Suppopulino (qui et Podossinov), Societate Germanica Studiis Fovendis et Sodalitate doctrinae Promovendae Humboldtiana adiuvantibus, Mosquae scholas explicavit. Qui tantam auctoritatem cum scriptis suis, tum elegantia sermonis Latini sibi comparavit, ut perpauci litteris Graecis et Latinis studeant qui nomen eius numquam audiverint.

Linguam Latinam in gymnasio discere coepit, tum inde ab anno MDCCCC-

LIX litteris classicis Tubingae, Vindobonae, Monachii studebat. Habebat autem magistros magno ingenio praeditos, ut Michael von Albrecht et Wolfgangum Schadewaldt. Anno MMDCCCLXXVI Stroh professor ordinarius in Universitate studiorum Monacensi factus est. Praeter munera, quibus in Universitate magna cum diligentia fungitur, sodalis quoque est Academiae Latinitati Fovendae et praeses Sodalitatis LVDIS LATINIS faciundis e. V., a se ipso conditae.



*Valahfridus in gymnasio Sancti Philippi*

Multae res studium eius excitant, sed praesertim arti rhetoricae et carminibus amatoriis operam dare solet<sup>1</sup>. Notum quoque est eum in arte metrica saepe versatum esse. Nec solum litteras antiquiores, sed etiam recentiores tractat, nam multum operaे in scriptis Latinis Iacobi Balde, poetae clarissimi saeculi decimi septimi, qui *Germaniae Horatius* appellabatur, collocavit<sup>2</sup>. Non fieri potest, ut hic omnia opera Valahfridi enumerentur, haec tamen sunt nominanda: *Cicero. Redner, Staatsmann, Philosoph*<sup>3</sup>; *Die Macht der Rede. Eine kleine Geschichte der Rhetorik im alten Griechenland und Rom*<sup>4</sup>. Notissimus vero est liber, qui *Latein ist tot, es lebe Latein! Kleine Geschichte einer großen Sprache*<sup>5</sup> inscribitur, in quo de historia linguae Latinae agitur. Liber hic in multas linguas Europae aut iam conversus est (in Francogallicam, Hispanicam, Ungaricam), aut nunc convertitur (in linguam Italicam, Bataviam, Bohemicam, Polonicam). Censeo nobis quoque, auctore permittente, de translatione Ruthenica operis huius pulcherrimi deliberandum esse. In quarto volumine horum commentariorum *Aristeas* Valahfridus Stroh typis dedit disputationem de philosophis rhetoribusque antiquis inter se aemulantibus<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> *Die römische Elegie als werbende Dichtung*, Amsterdam 1971.

<sup>2</sup> *Baldeana: Untersuchungen zum Lebenswerk von Bayerns größtem Dichter*, München 2004.

<sup>3</sup> *Cicero. Redner, Staatsmann, Philosoph*, München 2008.

<sup>4</sup> *Die Macht der Rede. Eine kleine Geschichte der Rhetorik im alten Griechenland und Rom*, Berlin 2009.

<sup>5</sup> *Latein ist tot, es lebe Latein! Kleine Geschichte einer großen Sprache*, Berlin 2007.

<sup>6</sup> Аристей. Вестник классической филологии и античной истории. IV. С. 11–26.

Valahfridus acroasis Mosquae in tribus universitatibus studiorum habuit, quarum prima Universitas studiorum Mosquensis Lomonosoviana erat. In Facultate rerum gestarum sex scholas de eloquentia antiqua explicavit, in quibus primum discrimen inter eloquentiam et rhetorica adumbravit et pauca breviter narravit de oratoribus Graecis. Deinde quinque scholae eloquentiae Romanorum a primis oratoribus usque ad aetatem Quintiliani dedicatae erant. Singulis acroasibus auditoria scholastica semper tam discipulorum quam magistrorum plena erant, quoniam sermone Latino elegantissimo optimum exemplar eloquentiae praebuit, cum de hac re ipsa dissereret. Initio uniuscuiusque acroasis pagellae, ubi res maximi momenti ad argumentum pertinentes scriptae erant, distribuebantur, ut auditores facilius id quod orator disputaturus erat intellegere possint. Ultima schola Valahfridus actionem scaenicam a se anno MDCCCCLXXXIII factam Troadis (vulgo Troadum) Senecae demonstravit nonnulla etiam verba de histrionibus, inter quos ipse cum filiis suis erat, fecit.

Scholis recitatis cum collegis Alexio Scatebrano (qui et Solopov), Alexio Alzano (qui et Belov), Alexio Belicov et multis aliis colloquia habebat. In Facultate philologiae acroasin de syllabis ac versibus recte pronuntiandis fecit, post quam Alexius Vestigiarius (qui et Slednicov) Valahfrido suum libellum de lingua Latina viva docenda donavit. In Universitate studiorum humanitatis ante acroasin de Homero Hesiodoque artis poeticae auctoribus salutatus est a Nicolao Fedorov, qui orationem in honorem Valahfridi habuit. Ultimo die etiam in Universitate Rerum Oeconomicarum de immortalitate linguae Latinae rettulit. Non solum cum viris doctis sermones habebat, sed etiam cum pueris, qui Latine discunt in gymnasio Sancti Philippi, libenter collocutus est.

Negotiis vacans ille Mosquam cum Alexandro Podossinov, Alexio Belousov, Catharina Iliuschetchkina, Gregorio Belikov lustrare solebat. Quo tempore multa loca fama notissima, quae vidit, valde admiratus est. Cum autem arcem Mosquensem, Mausoleum Lenini aspicere cuperet, bis frustra ad Forum Rubrum advenit, quoniam illa festorum publicorum causa occlusa erat. Sed quodam die in Academia artis musicae Valahfridus modis musicis a Schostacovitsch, qui ei maxime arridet, compositis se oblectavit. Ergo quamquam tempestas fere nullo die serena erat neque pluere desinebat, Valahfridus sibi valde placuisse iter suum Mosquense dixit gratiasque plurimas Alexandro Podossinov eiusque collegis egit.

Nos omnes, quos cum scholas delectationis plenas audire tum colloquia iucunda habere valde placuit, Valahfrido gratias maximas agimus eiusque adventus recordatione nunc quoque fruimur.

